

DE
BENEDICTIONIBUS

REGULAE GENERALES.

TITULUS DECIMUS OCTAVUS.

SUMMARIUM.

- 1 Errores in administratione Sacramentalium, et Sacramentorum proveniunt ab ignorantia rerum significatarum.
- 2 Benedicere quid significet?
- 3 Eulogia quid sit?
- 4 Ecclesia fuit institutrix Benedictionum.
- 5 Benedictionum institutio tribuenda Apostolis.
- 6 Benedictiones novissimae institutae ab Ecclesia.
- 7 Benedictionum significationes multae sunt.
- 8 Benedictionum effectus sunt quinque.
- 9 Benedictiones aliae usurpandae non sunt, nisi quae praescribuntur a Missali, et Rituali Romano.
- 10 Benedictiones falsae multae circumferuntur.
- 11 Crux in omnibus Benedictionibus apparet.
- 12 Crux non facienda circulariter, sed in figura quadrangulari.
- 13 Cruces in modum circuli sunt supersticiosae.
- 14 Manus in benedicens debet esse aperta, non autem inflexa.
- 15 Ecclesia fuit semper sollicita pro filiis suis.
- 16 Sacerdotibus in consecratione traditur potestas benedicens.
- 17 Benedictionum mysteria sunt explicanda Populo.
- 18 Benedictiones aliae ad Episcopos, aliae ad Sacerdotes, spectant.
- 19 Benedictiones neque valide, neque licite fiunt, nisi ab eo, qui habeat facultatem illas faciendi.
- 20 Benedictiones verbales, et simplices pertinent ad Sacerdotes.
- 21 Benedictiones aliae pertinent de jure, aliae ex delegatione.
- 22 Episcopus in omnibus Benedictionibus non potest delegare.
- 23 Regulae generales pro dignoscendis Benedictionibus quae spectant ad Episcopos, et ad Sacerdotes.
- 24 Benedictiones existentes in Missali possunt fieri a Sacerdotibus.
- 25 Benedictiones existentes in Rituali possunt fieri a Parochis.
- 26 Benedictiones faciendae a Sacerdote per delegationem Episcopi.
- 27 Benedicens sine facultate peccat mortaliter et fit irregularis.
- 28 Benedictiones intra Missam faciendae cum casula.
- 29 Benedictiones extra Missam cum superpelliceo, et Stola faciendae.

- 30 Sacerdos quare cum benedicit, stet?
- 31 Stare est Justorum.
- 32 Sacerdos benedicens caput habere debet apertum.
- 33 *Adjutorium nostrum. etc.* Initium omnium Benedictionum.
- 34 Orationes praescriptae omnes recitari debent.
- 35 Orationes novae non debent efformari.
- 36 Si verba Ecclesiae transmutentur, nulla est benedictio.
- 37 Quot modis Benedictio destruat?
- 38 In Benedictionibus semper Aquae benedicta habet locum.
- 39 Utrum requiratur tactus physicus Aquae benedictae?
- 40 Moraliter impossibile est, ut Aqua aspersio omnes res tangat benedicendas.
- 41 Res benedicta donec perducet Benedictio, non sacra est.
- 42 Res benedictae thurificatur ob venerationem.
- 43 Non in omnibus Benedictionibus fit thurificatio.
- 44 Thurificationis significationes.
- 45 Cur non omnes res benedictae thurificentur?
- 46 Tempore Aspersio, et Thurificationis nihil dicit Sacerdos.
- 47 Ante Benedictionem omnia necessaria paranda.
- 48 Res parandae pro Benedictione enumerantur.
- 49 Rituale Romanum est commodius Missali pro Benedictionibus.
- 50 Missale, et Rituale sunt fontes Benedictionum.
- 51 Alii liberculi Benedictionum sunt periculosi.
- 52 Altare non est onerandum rebus non sacris, occasione Benedictionis.
- 53 Esculeta non ponenda super Altare.
- 54 Nec Vestes, nec Lapides, nec Campanae, nec alia benedicenda.
- 55 Mensa debet esse parata pro his prope Altare.

1 Origines, et significationes Benedictionum explicandae veniunt, antequam ad particulares Benedictiones deveniatur: quae significationes peritiles erunt Sacris Ministris; nam ita bene gerent omnia, si bene noverint significationes, et mysteria rei regendae: Errores enim, et omissiones in administrandis Sacramentis, et Sacramentalibus plerumque proveniunt ab ignorantia illarum rerum, quae ab iisdem significantur, quae vere grandes sunt, et si attente, et plene animadverterentur, majorem in Ministro gignerent venerationem.

2 Benedicere igitur, seu bene alicui dicere, secundum proprietates latini sermonis, idem est quod bene de illo loqui: In scripturis vero Benedicere varia significat, prout variis Personis, et cum respectu ad res varias tribuitur: nam Hominem Benedicere Deo, idem est ac laudare Deum, et ei gratias agere, Sarnell. *Ep. Eccl. t. 7. Ep. 58.* Ex adverso, Deum Benedicere Homini vel rebus creatis, nihil aliud est, quam ipsis aliquid Boni tribuere, aut virtutem in illis inducere. Sic Deus, *Genes.* 1. omnibus Animalibus benedixit dando illis vim crescendi: Hominem vero Benedicere aliis creaturis idem est, ac aliquid boni iis adprecari, aut futurum praedicere, ut patet ex Benedictione Isaac, et Jacobo respectu Filiorum. *Genes. 27. et 49. et Coninck de Sacramentis, q. 78. art. 1. dub. 2. n. 13.*

3 Per alios Autores idem significabat *Eulogia*, ac Benedictio, seu munuscula benedicta, quae in signum Communionis

Catholicae ad invicem accipiebant, Clericat. *de Eucharist. dec. 9. cas. 2. n. 20.*

4 5 6 Quo vero ad Authores Benedictionum, seu aliarum Caeremoniarum, et Sacramentalium, quae sunt extra substantiam Sacramenti, debet dici, quod omnium Institutrix fuerit Ecclesia. Nomine hujus Ecclesiae veniunt Apostoli, et Apostolorum succesores, nempe Summi Pontifices, et Episcopi ut ex Conciliis, et Patribus fuisse probat Suarez *T. 3. in. 3. part. disp. 16, sect. 1.* Unde quando Benedictiones sunt antiquae, nec de earum origine et principio constat, tunc juxta regulam communiter acceptam ex S. August. *l. 4. de Baptismo, contra Donatistas*, earum institutio tribuenda est immediate Apostolis. Verba Sancti Doctoris sunt: *Quod universa tenet Ecclesia, nec est a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Quando vero recentiores sunt, et approbatae, tunc dicendum est, quod eas Ecclesia instituerit: cui Ecclesiae certum est, collatam fuisse hanc potestatem a Christo, nempe, ut in dispensatione Sacramentorum, salva eorum substantia, ea statueret, quae vel Sacramentorum venerationi, vel utilitati Fidelium magis expedire judicaret; atque hoc expresse habetur ex Trident. *sess. 21. c. 2.* Sed Benedictiones ad divinum cultum, et utilitatem Fidelium inserviunt; ergo ab Ecclesia sunt institutae, prout late probat Quartus *d. l. n. 25.*

7 8 Significationes vero Benedictionum non minoris numeri sunt quam ipsae Benedictiones, unaquaeque enim illarum id significat, atque pro mysterio habet, ad quod instituta est: quare non potest hic assignari ulla praecipua illarum significatio, nisi de singulis sermo habeatur. Hinc est, quod dum de singulis earum tractabimus, illarum significationem exponemus. Omnes certe significationes, vel ad Sacramentorum venerationem, ut diximus, vel ad Fidelium utilitatem diriguntur, cum quinque assignentur praecipui effectus Benedictionis. Primus est, remissio peccatorum venialium: Secundus collatio gratiarum excitantium, seu praevenientium: Tertius remissio poenarum: Quartus, expulsio, vel compessio Daemonum: Quintus demum operatio sanitatum, et similibus donorum temporalium, ut cum Quart, *d. l. sect. 5. duc. 2. n. 47.* communiter tradunt Doctores de Sacramentalibus tractantes.

9 10 Quare, ut ad hunc finem direte perveniant istae Benedictiones, admonet Corsett. *d. Tr. 1. p. 2. c. 14. in add.* quod Sacerdotibus omni ratione cavendum est, ne alias Benedictionis formas, ritus, aut caeremonias usurpent, quam quae in libris Ecclesiasticis, nempe Pontificali, Missali, et Rituali Romano continentur; circumferuntur enim, ut ipse deplorat, non paucae a superstitiosis, et maleficis hominibus compositae, et arte Daemonum excogitatae Benedictiones, quae ut latens venenum

non facile produnt, et ita multos incautos decipiunt, et in impietatem, praetextu devotionis, aut remedii necessarii facile pertrahunt; neque ad alios fines quocumque praetextu detorqueri debent, quam ad quos ab Ecclesia Dei institutae sunt, Jac. Eveillon. *Tract. de Process. Eccles. cap. 31. c. de Benedictionibus Ecclesiasticis.*

11 12 13 14 In omnibus fere Benedictionibus triumphale Crucis signum apparet, sive manu fiat, sive aspersione Aquae Benedictae. Hoc signum, ut notat Corsett. *ibid. n. 2.* non debet fieri per modum circuli, quemadmodum nonnulli faciunt, sed debet exprimi in figura quadrangulari, quia efformando per modum circuli, signum Daemonis esset. Dextera ergo sursum porrecta, inde quasi recta ducitur linea deorsum, et transversalis altera extenditur a sinistro ad dextrum latus, et exinde perfecte fit signum Crucis super quaecumque rem: ubi advertendum est, manum in Benedictionibus, seu in benedicendo semper apertam esse debere, non autem inflexam, juxta responsum Sac. R. C. *in una Albigenen. 24. Julii. 1683.* allegata a Sarnellio, *Ep. Eccl. T. 4. ep. 9. n. 13.* Quaesitum fuit—*Utrum celebrans, alios, vel rem aliquam benedicens, debeat manum semper extensam tenere, aut illam inflectere?* Respond. *In Benedictionibus congruenter juxta Rubricas, et Ritum, videtur modus benedicendi manu recta, et digitis simul junctis, et extensis.*

15 Haec itaque signa adamussim fieri maxime interest, ad hoc ut suum fortiantur effectum, Leon. *Prax. Archiep. p. 1. cap. 6. num. 29. in fine.* Sollicita namque fuit Ecclesia pro charissimorum filiorum suorum tam vivorum, quam Defunctorum benedictione, et sanctificatione: non enim sola Sanctissima Sacramenta a Christo Domino Sponso suo accepit, sed varias Orationes longe efficacissimas ordinavit.

16 Itemque advertens, humani generis hostem Diabolum, hominum spirituali, et corporali saluti, etiam in rebus creatis eorum usui necessariis, identidem insidiari, diversos exorcismos, preces, et benedictiones Sacerdotales praescripsit ad omnem infestissimi inimici potestatem eradicandam, salutemque populorum, in quiete, et felici statu tuendam, et conservandam. Unde in Sacerdotum Consecratione, Spiritu Sancto dicente, fieri cernimus, quod dum eorum manus Sacro Chrismate ab Episcopo inunguntur, potestas traditur, et confertur, ut quidquid benedixerint, benedicatur, et quidquid consecraverint, consecretur, et Sanctificetur. *Sacerdotal, Briuin dist. 10. de diversis Benedictionibus, p. 368.*

17 Quarum omnium Benedictionum mysteria, et significationes decrevit S. Carolus, *Act. p. 1. Conc. Prov. 2. lit. 1. decr. 7.* ut ab Episcopis explicarentur Populo in actu solemniter aliqujus rei benedicendae, ut magis Fideles ad Divinarum rerum

cultum escitentur: quod et a Parochis insinuat faciendum, *Act. p. 4. Instruct. Praedic. Verbi Dei*, non enim semper Episcopi verbo praedicare valent.

¶ §. I. Noverit Sacerdos, quarum rerum benedictiones ad ipsum, et quae ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris dignitatis munera temere, aut imperite umquam usurpet propria autoritate.

18 19 Opus est itaque, ut Sacerdos, auctoritatem, et potestatem suam bene noscat, ne se extendat ultra munus sibi commissum: quaelibet namque Benedictio non potest neque valide, neque licite fieri nisi ab eo, qui ad tale munus designatur ab Ecclesia, *Quart. sect. 4. dub. 2. n. 27*. Ex designatione autem Ecclesiae, aliquae Benedictiones pertinent ad simplices Sacerdotes, aliquae ad solos Episcopos, aliae demum ad Summum Pontificem.

20 21 22 Ad Sacerdotes Episcopo inferiores pertinent Benedictiones solum verbales, seu simplices, in quibus non intervenit unctio Chrismatis, vel Sacri Olei. Inter istas vero nonnullae sunt, quae ipsi Sacerdoti pertinent de jure, et ratione Ordinis, aliae quae possunt ab eo conferri virtute delegationis factae ab Episcopo; cum sint etiam nonnullae verbales, et simplices, quae soli Episcopo pertinent, sed possunt ab eo delegari simplici Sacerdoti. Dixi, nonnullae, quoniam non in omnibus Benedictionibus habet potestatem Episcopus delegandi, sed in iis tantum, in quibus non intervenit unctio Chrismatis, vel sunt materia alicujus Sacramenti, cujusmodi sunt Benedictio Chrismatis, et Olei infirmorum, aliaeque in Pontificali enumerata.

23 24 25 26 Ad hoc vero ut clare pateat vel Parocho, vel simplici Sacerdoti, quatenam Benedictiones sibi competant, quatenam Episcopo; et in quibusnam necessaria sit Episcopi dispensatio, ponit regulam generalem Clericat. *de Sacrament. Eucharist. decis. 8. cas. 1. numer 45*. dicens; Quod Benedictiones existentes in Missali possunt fieri a quocumque Sacerdote, citra praesudicium jurium Parochialium: Quae vero sunt in Rituali, a solo Parocho sunt faciendae. Sed clarius procedit ipsum Rituale Romanum, dum per primum ponit Benedictiones ad Parochos, seu Sacerdotes pertinent: post haec identidem distribuit, et enumerat Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus faciendas. Ergo in his secundis debet Parochus, seu Sacerdos animadvertere, et benedignoscere quae sibi non pertinere possunt, nisi praemissa delegatione

ab Episcopo facienda. Cuncta itaque cura Parochi, vel Sacerdotis debet esse in practico quodam, et diligenti examine Rubricarum Ritualis, quarum leges sequendo errare non poterit ex imperitia, sed tantum ex temeritate, si nolit ea facere, quae ibi praescribuntur.

27 Quod si temere, et scienter, et tamquam ex Officio quis usurpare vellet sibi auctoritatem benedicendi, competentem soli Episcopo, et superiori, peccaret mortaliter, et efficeretur irregularis, *Quart. titul. 2. dub. 10. num. 44*.

¶ §. II. In omni Benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo, et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.

28 29 Notanda sunt illa verba *extra Missam*, quia Benedictiones, quae intra Missam fiunt, aliam vestem non exigunt, nisi illam, quae Missae convenit, nempe casulam, etc. Caeterum in Benedictionibus extra Missam, semper superpelliceo, et Stola uti debet Sacerdos, ut jam dictum est *Tit. 1. §. 7*. Vide ibi rationes, et significationes, et Gavant. *de Rubr. Benedict. p. 4. t. 19. nu. 3*.

¶ §. III. Stando semper benedicat, et aperto capite.

30 31 Idem affirmat Gavant. *d. l. n. 4*. sed ibi rationem non assignat, quae tamen eruitur ex ab eo dictis *ad Rubr. Miss. p. 2. t. 5*, nempe, quod stare, Justorum est: Genua flectere, Peccatorum. Atqui in hoc loco Sacerdos Personam, et figuram Justi repraesentat, cum per Benedictionem tribuat justificationem, et Sanctificationem, rebus ab eo benedictis: Ergo stare debet ad instar Justi.

32 Insuper apertum, sive detectum habere debet caput. Itaque Papa, *cap. Nullus, de consecrat. distinct. 1*. jussit, ne velato capite sacerdotes adstarent Altari: Et quamvis non omnes Benedictiones fiant ad Altare, attamen in loco Sacro, ut plurimum, ex regula generali, solent fieri, cui loco, et ministerio convenit maxima reverentia.

¶ §. IV. In Principio cujuscumque Benedictionis dicat
Com.—P. 33.

N. Adjutorium nostrum, etc. Deinde dicatur Oratio propria, una, vel plures, prout suo loco notatum fuerit.

33 Cum Benedictio quaevis a Deo proveniat, qui Author, et largitor omnium Bonorum est, juxta illud: *Invocabunt nomen meum super Filios Israel, et ego benedicam eis, Num. 6. 27.* ideo in principio cujuscumque Benedictionis, ejus auxilium imploratur, adstantium mentes elebentur ad meditando Deum qui in illo actu, per Sacerdotem Ministrum suum Benedictio- nem largitur.

34 35 36 37 Quo vero ad Orationes praescriptas, omnes, et singulae recitare debent, nec una omitti, nec nova efformari magis apta ad rem benedicendam, nec demum abbrevian- da, seu amplianda, nec transferenda. Sunt enim Orationes de essentia ac necessitate ad valorem Benedictionis; ideoque si omitterentur, vel si aliquo modo deformarentur, male ageret Sacerdos; recedendo ab usu Ecclesiae, et a verbis communiter adhiberi solitis: Imo si mutatio fieret in alia verba diversae significationis, et tanta fieret, ut principalis significatio ab Ec- clesia intenta non haberetur, nulla esset Benedictio talis, eo quia cum tota vis Benedictionis in applicatione significationis consistat, consequens est, ut destructa significatione destruat- ur etiam Benedictio, quod fieri potest, vel omissione, vel additio- ne, vel mutatione, vel demum detractio: et si hoc malitiose egeret Sacerdos, graviter peccaret, ut notat *Quart. sect. dub. 2. n. 20. et sect. 4. dub. 10. n. 45.* cum variis DD. magna enim advertentia istae Orationes elaboratae sunt ab Ecclesia, et a locis Sacrae Scripturae, et Sanctorum Patrum extractae, ut id significant, cui ab Ecclesia applicantur.

§. V. Postea rem aspergat Aqua benedicta, et ubi no- tatum fuerit, pariter insenset, nihil dicendo.

38 39 40 In omni Benedictione, vel paucis certe exceptis, Aqua benedicta habet suum locum, ob illas magnas, et innu- merabiles virtutes, de quibus dicemus in sequentibus Titulis; concurrunt enim ut causa ad illas, quia dum res asperguntur, sanctificantur, *Quart. d. tit. 3. sect. 1. de Bened. simpl. nu. 203.* Utrum vero ad consequendos effectus Aquae Benedictae, requi- ratur ejusdem contactus physicus, vel sufficiat moralis? Respon- det idem *Quart. d. l. dub. 7. 213.* sufficere contactum moralem, quoties aspersio Aquae acceptatur a Personis, super quibus diri- gitur, exempli gratia, signo aliquo inclinationes, vel simili gestu:

Vel si fiat aspersio super rebus insensibilibus, quoties intentio Aspergentis ad eas dirigitur quamvis Aqua non pertingat phi- sice ad illas: impossibile enim mortaliter est, ut aspersio sem- per physice omnes res tangat, super quibus fit: alioquin vana, et frustranea esset saepissime ista aspersio.

41 42 43 Statim vero ac res una benedicta est, donec perduret Benedictio, sacra est, et meretur thurificari ob ve- nerationem. Non omnes vero res benedictae thurificari solent sed illae tantum, quae a Rituali praescribuntur.

44 Multae sunt ejus significationes, et mysteria a Quarto enumerata *d. t. 2. Praelud. 2. n. 111.* Sed praecipue fit ad expellendos, et fugandos Daemones, prout probat *Innoc. III. de Myst. Missae, l. 2. cap. 17.* et exprimitur in Benedictio- ne quinque Granorum incensi, his verbis: *Expulsa Diabolicae fraudis nequitia, virtus tuae majestatis assistat.*

45 Cur vero in aliquibus Benedictionibus praescribatur ab Ecclesia Incensatio, et in aliis non, erit fortasse pro majori so- lemmitate. Hoc tamen pro certo habendum est, in illis omni- bus Benedictionibus, quae in nostro Rituali Romano descri- buntur, nusquam praescriptam esse Incensationem, sive sit Benedictio Sacerdotalis, sive sit Episcopalis. Unice legimus incensari debere novum Tumulum in ejusdem prima Bene- dictione, pro quo vide quae in illo loco diximus *Titulo de Exeq. §. 15.*

46 Dum fit Aspersio, et Incensatio nihil dicit Sacerdos be- nedicens, quia preces jam absolutae sunt, et Oratio impetrato- ria expleta: estque hoc tanquam complementum Ritus, nulla- que major additur significatio, quae jam per Preces, et Oratio- nes expressa non fuerit, nihilque aliud est impetrandum.

§. VI. Cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat Ministrum cum vase Aquae benedictae, et Aspergillo, et cum hoc Rituali libro, seu Missali.

47 Optimum est concilium circa hoc, quod a Sacerdotali Brixinensi habemus *dist. 10. de diversis Benedictionibus, pag. 370. ad notan.* Inquit enim . . . *Porro Sacerdotes generaliter monitos volumus, ne ad Sacras Benedictiones imparati acce- dant; sed agenda pridie studiose revideant, necessariu praepa- rent, ac cum Ministris circa Caeremonias tempestive concor- dent: ne in ipso actu confusiones oriri necesse sit. Quibus autem in Ecclesiis Ministrorum numerus, juxta praescriptum, vel cantus, vel alia adhiberi non possunt, Sacerdos solus fa- ciat, quod potest: nihil tamen in substantialibus omittendo,*

immutando, addendo, aut detrahendo: etsi quae cantari nequeunt, clara, et intelligibili voce, ita distincte, lente, ac graviter legantur, ut ab omnibus facile percipiantur.

49 50 51 In hoc consilio habet Sacerdos benedicturus totam seriem rerum a se advertendarum, tum ante Benedictionem, tum in actu ipsius Benedictionis, unde aliquid aliud addere supervacaneum est. Unice dicam debere secum in Benedictionibus habere hunc Librum Ritualement, seu Missale, quia in ambobus istis Sacris voluminibus Benedictiones legitime cum proprio Ritu describuntur. Gavantus vero de *Benedict.* 19. addit, Missale esse magis manuale, et copiosum, atque obvium: Ego dico, magis amplum, et obvium esse Ritualement, imo et magis commodum. Quidquid sit, isti duo Libri unice debent esse Fontes Benedictionum Sacerdotalium in Ecclesia Romana Catholica faciendarum, non quidam alii liberuli, quorum usus periculo non caret, cum ab Ecclesia non sint approbati, quia fortasse nimium copiosi unde est quod Summus Pontifex nonnullos illorum de recenti prohibuerit, ut dictum fuit in Titulo 1. hujus Libri, §. 16.

§. VII. Caveat, ne Benedictionis causa, ponat aliquid indecens super Altare, veluti esculenta: sed quod ejusmodi est, ponatur super mensam, commodo loco paratam.

52 53 54 Hoc idem innuit Gav. *p. 4. t. 19.* non enim convenit, Sacrum Altare in Mensam cauponae transmutare. Esculenta hic tantum notat Textus, prout sunt Ova, Panes, Agni Paschales, Fruges, et alia comestibilia: quibus addo potententa, prout Oleum, ob periculum effusionis, qua deturpetur Tobala. Sunt etiam alia, quae quamvis nec esculenta, nec potententa sint, attamen indecens videtur, quod super Altare collocentur, prout sunt Vestes, etiam Monialium benedicendae, Enses, Vexilla, Lapides ad usum Altaris, seu Petrae angularis, Campanulae, Candelae, Olivae, seu Palmae, Cineres, Sal, et similia, de quibus etiam mentio fit in *Act. Med. p. 4. Instr. general pro Benedictionibus.*

55 Pro his rebus igitur debet esse Mensa parata, loco commodo, seu in Sacristia, seu prope Altare ad cornu Epistolae, ubi fieri debent Benedictiones; semper tamen pro ratione eorum, quae benedicuntur. *Acta ibid.* Plura de Benedictionibus habebis ex Sarnell. *Ep. Eccles. T. 3. Ep. 9.*

ORDO

AD FACIENDAM AQUAM BENEDICAM.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Quare prima Benedictio particularis sit illa Aquae lustralis?
- 2 In omnibus Benedictionibus Aqua lustralis adhibetur.
- 3 Benedictio haec attente debet fieri.
- 4 Quare quandoque Daemones non timeant Aquam lustralem?
- 5 In quo differant materia, et forma hujus Aquae?
- 6 Si benedicens sit aliqua censura innodatus, fit irregularis.
- 7 Quare dicatur Aqua lustralis?
- 8 Victimae in antiquis Sacrificiis aspergebantur hac Aqua.
- 9 Quinam fuerit inventor Aquae benedictae.
- 10 S. Matthaecus habetur pro vero auctore hujus benedictionis.
- 11 Paulus Maria Quartus diligenter scripsit de Aqua benedicta.
- 12 Alii Authores, qui de hac Aqua scripserunt.
- 13 Aqua benedicenda diebus Dominicis.
- 14 Die Dominico non debet omitti ista aspersio.
- 15 Aqua difficiliter remanet pura per octo dies.
- 16 In die Paschae et Pentecostes, ubi adsit fons Baptismalis, non benedicatur Aqua.
- 17 Potest haec Benedicere alio tempore.
- 18 Peccatis, cui incumbit renovatio Aquae, si haec ob ejus negligentiam putrescat.
- 19 Sal benedicendus debet esse naturalis.
- 20 Sal quare benedicatur priusquam Aqua?
- 21 Quartus nihil loquitur de Salis Benedictione.
- 22 Aqua debet esse naturalis, et munda.
- 23 Cum Aqua benedicta non licet extraneum liquorem miscere.
- 24 Nisi sit pauca quantitas Aquae fragrantis.
- 25 Si Aqua extranea esset multa, peccaret qui hoc faceret.
- 26 Dare Candelam non benedictam pro benedicta non est grave peccatum.
- 27 Loca Sacra conveniunt rei Sacrae.
- 28 Aqua potest ubique locorum benedicere.
- 29 Unica Benedictione an benedicere possint multi Fontes?
- 30 Minister debet accedere ad singulos pro immiscendo Sale.
- 31 An res benedicendae debeant esse sub oculis Ministri.
- 32 Stola violacea adhibenda est.
- 33 Nisi qui benedicat, debeat illico celebrare Missam.
- 34 Exorcismi non omnes absolute inchoantur.
- 35 Oremus, quare hic ponatur?